



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

vel futuros scivisset aut sperasset. Sic quod ex his omnibus iure actionis ad supplementum & ampliationem tacite relictorum conveniri possint; nec ulla iusta sit causa, cur Executores ea in parte ex tam iustis causis eis succurrere non debeant.

Ad quem autem modum hoc supplementum fieri debeat, expeditum non est. Neque enim putamus Antonij & Adrianæ hoc tacitum fideicommissum ampliandum seu supplendum esse, ut forori suæ Mathiolæ adæquantur. Nam ex lectura testamenti evidenter apparet, testatricem ad aliquam æqualitatem Executores adstringere noluisse; cum ipsa cognatis suis in eodem proximo gradu constitutis, æqualiter seu omnibus tantundem non reliquerit; & impartibus portionibus seu legatis eos honoraverit. Proinde existimamus hoc arbitrio & discretioni dictorum Executorum relinquendum esse; & in eo potestatem Executoribus per testatricem in dicta clausula permissam, maxime versari. Ita tamen ut in hac incertitudine secundum arbitrium boni viri id faciant, *elegans textus in l. cum filius §. pater & ibi Bart. De legat. 2.* & sic nec excessu plus quam æquum est adiciendo, vel defectu parum, & quod idoneum emolumentum pro qualitate & conditione tam personæ testatricis, & bonorum illius, quam dictorum fideicommissariorum non habeat, attribuendo, evidenter peccent.

† Supplementum autem hoc defumendum est & ampliatio facienda ex toto residuo bonorum testatricis, non specialiter ex quinta portione residui, quæ relicta est ad opus indigentium dictæ testatricis amicorum & cognatorum, ad illos eā portione maritandos, & ad honestum statum perducendos. Cum enim dicta clausula iure prælegati sit, & eodem iure censetur, quo principalem legatum seu fideicommissum, quamvis non sufficiens, quasi illius accessio, *v. Accessorium De reg. iur. lib. 6.* prius præstandum est, quam residuum constitui possit: quia residuum in proposito est, quod deductis legatis superest, *l. 2. c. De hered. instit.* Quod quia specialiter certæ qualitatis agnatis seu cognatis attributum est, hoc est, non indigentibus simpliciter, sed ijs indigentibus, qui ad matrimonium aut statum perducti non sunt; non potest illius pars dictis Antonio & Adrianæ jam olim in matrimonio constitutis applicari, sed bene eorum liberis in dicta qualitate constitutis. Atque ita existimamus Dominorum Executorum officium esse, ut ex prima illa in capite testamenti clausula, dictorum Antonij & Adrianæ tacitum fideicommissum secundum superscriptum arbitrium amplient & adaugent ex massa totius residui; & præterea ex ejus, quod tum supererit, residui omnium bonorum quinta parte, liberis eorundem dictam qualitatem habentibus, pro sua discretionem quoque succurrant.

De Testamentis.

SYMMARIUM.

Testamentum quando agnatione posthumi vel præteritione filij sit nullum.

1. Legitimitas præsumitur ex matrimonio.
2. Soror naturalis uterina succedit sororietati legitime.
3. Successio intestata uniformis est, nec quaritur, ex quo Conf. Wamelf. Tom. II.

latere bona obvenirent.

4. Feuda finita linea quomodo ad collaterales eant.
5. Successio intestata regulariter deferretur proximiori absque discrimine agnatorum vel cognatorum.
6. Posthumi quis rumpat testamentum.
7. 9. Matrimonium in extremo vite contrahi potest.
8. Matrimonium in extremo mortis articulo contrahum an obitu subsistat.
10. Matrimonium absque proclamationibus & bannis contractum an sit nullum.
11. Partus ante tempus electus pro abortu est.
12. Natus legitimo tempore, etiamsi statim moriatur, pro nato habetur.
13. Filius ex utero electus quando pro nato habetur.
14. Filius natus septimo mense, non etiam octavo, rumpit testamentum.
15. Matris assertioni quando standum quoad conceptionem proli.
16. Partus quo tempore vitalis nasci possit.
17. Intellectus Auth. Ex caus. C. De lib. præteritis.
18. Posthumi præteritis quando rumpat testamentum.
19. Testes negantes non probant.
20. Legata an conserventur præterito filio.
21. Universalitas bonorum operatur hæredis institutionem.
22. Testamentum præteritione nullum, taciturnitate sustineri potest.
23. 26. Testimonia semel publicata quando impediunt ulteriorem productionem.
24. Præsumitur quilibet longius vite tempus sperare.
25. Allegatio iuris probatione non indiget.
27. Testimonia post terminum statutum recepta nulla.

CONSILIVM CCCCII.

ELEGANS admodum nec multum difficilis est status causæ seu litis, quæ coram Domino Officiali Leodiensi instituta est, inter Thomam Aerden tamquam maritum Catharinæ Kempeners Impetrantem; & Elizabetham Zanen Opponentem, super iure ac validitate testamenti quondam Pascasij Kempeners: nam & incidentium articulorum varietas, & singulorum articulorum elegantia, ac subtilitas omnino delectant. Cum autem status causæ consistat partim in his, quæ personam Elizabethæ Opponentis respiciunt; partim in his, quæ ad dicti testamenti vires, vel invaliditatem referuntur; & partim denique, quæ actorum utilitatem vel nullitatem concernunt, ne confusa, & promiscua omnium tractatione res conturbetur, singula, ut quæque rei, & naturæ ordine alijs priora sunt, ordine tractabimus. Et cum antè personæ, quàm juris ratio habenda, ac quærenda sit, *l. Quidam referunt De iure codicil. l. Si queramus de testam.* ea prius discutimus, quæ personæ Elizabethæ obijciuntur; cur minus hæreditatem sororis suæ ex dicto Pascasio vitrico suo (uti contendit Impetrans) obtinere possit. Sunt autem duo, ex quibus id Impetrans contendit: Primum, quasi Elizabetha Opponens sit spuria, seu naturalis tantum soror posthuma dicti Pascasij; ita ut ruptura testamenti præfati Pascasij per agnationem posthumæ nihil prodesse possit Elizabethæ; & sic iure legitimæ ad hæreditatem posthumæ sororis suæ legitimè natæ, pervenire non

T 3

non

non debeat. Deinde (quod mixta consideratione personam, & jus respicit) quod etsi legitima soror posthumæ esset Elizabetha, nihil magis ei ab intestato sit successura; quia uterina soror tantum esset, sicque bonorum ex linea paterna omnino incapax.

1. Quod ad prius attinet nihil harendum est. Nam præterquam, quod Impetrans objectæ illegitimitatis, seu spurietatis nullam attulerit probationem, imò nusquam positiuè id in peremptorijs suis articulis allegaverit, sed obiter tantum respondendo ad articulos Opponentis id dixerit; apertissimis probationibus non tantum antecedens matrimonium Henrici Zanen & Mariæ parentum dictæ Opponentis, sed etiam dictæ Elizabethæ Opponentis stante hoc matrimonio, nativitas probata est; ex quibus necessariò pro legitimitate dictæ Opponentis præsumendum, *l. Non nudu C. de probat. imò* fictione juris constituendum est *l. filium & ibi Gloss. De his qui sui vel alieni iur. sunt. l. Si vicini C. de nuptijs.* Vnde etiam factum arbitror, ut Opponentis probationibus victus Impetrans, à repetitione hujus objectionis in suis articulis peremptorijs abstinuerit.

2. Quod ad secundum attinet, perinde nihil momenti habet: primum enim ad obtinendam fororis hereditatem, satis est vel per alterum parentem conjungi; & magis per matrem, quàm patrem; quia per patrem, nisi legitimis nuptijs intervenientibus, nulla conjunctio, quæ juris est, cum habeat, intelligitur, *l. Si spurio Vnde cognati §. vulgo & ibi Angeli Insist. De success. cognat. licet ex jure civili per matrem æquè illegitimæ ut legitimæ, forores sic conjungantur, ut utrimque capiendæ hereditatis sit jus, l. Hac parte l. fin. Vnde cognati d. §. vulgo & ibi Ang. & cum deficientibus liberis, ac parentibus, itemque fratribus & sororibus per utrumque parentem cõjunctis, fratres, & forores uterini, omnibus agnatis, & cognatis sint potiores, sic quòd etiam patruos & avunculos excludant, (hi enim post fratres & forores demum vocantur, *Auth. Post fratres C. De legit. heredib.*) nulla debet esse dubitatio, quin Opponens hujus causæ posthumæ soror, potior debeat esse ejusdem posthumæ amitæ Impertrantis uxore.*

3. Nec quicquam in hac re immutat, quòd bona pleraque & præcipue illa, unde initium præsentis litis natum est, provenerint ex lineâ paterna posthumæ, quasi scilicet quemadmodum ex morte Pascalis ad hanc Ream illa pervenire non potuissent, quia jure affinitatis nulla defertur successio, *l. Affinitas l. Vtrius C. Communia de success. ita nec per mortem filia posthumæ dicti Pascalis.* Nam etsi verum sit ex capite Pascalis nihil jure successione, ad Ream pervenire potuisse, ex capite tamen fororis suæ uterinæ, dubium non est, quin eadem Opponens per successionem acquirere poterit. In successione enim intestatâ non hoc quæritur, unde bona ad eum, de cujus successione quæritur pervenerint; sed hoc tantum, an illius fuerint; ne per differentias personarum, & rerum successio vacillet ac variet, *l. De emancipatis in fine c. De legit. hered.* Ut etiam in alijs juris partibus frequenter per alium acquirimus, quod ipsi directò acquirere non possemus, *Zaf. in l. Si emancipati nu. 5. C. De collat.*

Et quamvis in feudis hoc singulari jure sit observatum, ut finitâ lineâ directâ illius à quo bona processerunt, revertantur ad illius collaterales, non ad proximos cognatos ultimi morientis; sic ut frater uterinus in paterno feudo non succedat, *Ang. conf. 110. Sanctissima & illustissima, Franciscus Curt. in tract. feud. par. 3. nu. 55.* quia in feudis jure cognationis nulla est successio, *cap. 1. De gradib. succ. in feud.* * in alijs tamen bonis idem constitutum non est: quia sublato discrimine agnationis & cognationis, nulla inter bona, jure scripto, invenitur facta distinctio, in *Auth. de hered. ab intestat. test.* Et quamquam jure consuetudinario plerique locis id observetur, ut in successione collaterali duo latera servantur, & paterni amici paternæ, materni maternæ bona auferant: quia tamen ea consuetudo, aut illius notorietas allegata hic non est, & præterea illa per regiones passim fluctuat, ac variat, neque ubique & semper uniformis est, nulla illius per D. Iudicem habenda erit ratio, ut in simili respondit Nicolaus Everard. *Præles. conf. 14. post princ.* Et sanè impertinens hic est quæstio, unde molendinum, de quo in actis frequens est mentio, provenerit; quia dato quòd ex linea paternæ posthumæ proveniat, & ex aliqua consuetudine, bonorum duo latera constituenda sint; quia tamen nunc non de bonis ipsis, sed jure testamenti coram Domino Officiali est quæstio, distinctio, seu qualitas bonorum inspicienda non est: sed postea demum illa fiet coram Iudice laico, quando bonorum possessio petitur. Vnde relinquatur hujus causæ Opponentis conditionem in ea esse qualitate, ut nisi extrinsecus aliud impedimentum obstat, (de quo jam dicemus) possit ad fororis suæ successionem admitti.

Progredientes ergo ad ea, quæ in his actis præcipua sunt, & juxta ipsius testamenti, de cujus annullatione agitur, contingunt, varia occurrunt, quæ in quæstionem veniunt. Primum, an matrimonium fuerit legitime contractum inter Pascaliū & Mariam? nam sine legitimo matrimonio frustrâ quæreretur de nativitate posthumæ; * cum in ea conditione oporteat esse posthumum, qui testamentum rumpat, ut natus patri sit legitimus, & in potestate, *l. Quod dicitur De liber. & posthum. l. Quod certatum C. eod. tit.* Secundò, an perfectæ ætatis fuerit partus hujus posthumæ? Tertiò, an nativitate posthumæ legata maneat rata? Quartò, num Opponens aliquâ approbatione testamentum Pascalis sequuta, aut illud confirmasse dici possit?

Quod ad primum attinet, communi opinione receptum est, matrimonium in extrema valetudine etiam cum concubina contractum, præsertim si vel nati sint ex eâ liberi, vel ex partu gravida conjunx, valere & tenere, *latè Alex. in l. Si quis posthumus & Ang. Franc. Aret. & las. in l. Sed est quæstio De liber. & posthum. & quos refert Tirac. de revoc. donat. in verb. suscepit. liberos nu. 74. Anr. de Roset. in tract. legitum. lib. 1. c. 2. nu. 40. Carol. Ruinus confil. 88. circa vol. 3. Decius conf. 399. Conclusionem in fine: & prolem, vel prius in lucem editam, vel cum tempore nuptiarum in utero esset, nascituram; & multò magis postea concipiendam, legitimam fieri; in d. etiam si tunc contrahatur, cum de vitâ desideratum est, *Decius, las. & alij, in l. Senia C. Qui testam. fac. poss. quantum.**

quantumvis nulla sit spes proles postea procreanda: satis enim est, cōrahentes in ea conditione esse, quod restitutā sanitatē ad generandum sint apti: non enim inspicitur morbi seu adversæ valetudinis accedens, sed natura, *Alex. in d. l. Si quis posthumus nu. 4. Iason in d. l. Sed est questum*, Iam verò nihil dubitandum est, quin in ea conditione fuerint Paschasius & Maria, tempore contracti matrimonij, ut generare & procreare potuerint, recedente peste, quā Paschasius tunc laborabat: ejus enim certissimum est indicium, quod tunc gravis erat ex Paschasio; etsi non actū, habitu tamen & potentia uterque ad procreandas proles tunc erant idonei; peste videlicet recedente, quæ sine Dei miraculo tolli non poterat, *Ant. Rosel. loco supra citato nu. 42.* Peltis enim quamvis sit inter acutos & gravissimos morbos; inter letales tamen atque incurabiles non est. Quod pertinet, quod testes Imperantis deponunt, multos ex eo morbo curatos tunc fuisse: & Paschasium sperasse, diutius vivere. Deinde ipsum matrimonium per se nullo habito respectu ad sobolis procreationem, sui ipsius causa sufficiens est; quia sacramentum est, *Bald. in l. Sancimus C. De nuptijs*; & concubinatus antecedentis absolutionem quandam continet: & si sobolis causam seu respectum hic omnino requiras, non deerit, propter sobolem, quæ in utero erat, cum etiam prius in concubinato nata, possit esse causa contrahendi matrimonij, etiam in extremo articulo mortis: quia nimirum per hoc matrimonium proles hujusmodi legitima efficitur, *Alex. d. nu. 4. Iason in d. l. Sed est questum nu. 6.*

Supervacuum ergo est, quod pro parte Imperantis allegatum est, tempore contracti matrimonij in ea conditione fuisse Paschasium, ut Mariam iam ex concubina factam uxorem, non potuerit carnaliter cognoscere; nimirum quia id ad matrimonium omnino non est necessarium, *l. Nuptias. de regul. iuris.*

Sed nec illud movet, quod Impetrans allegat, hujusmodi matrimonium contractum fuisse in fraudem verorum heredum; nam quamvis plurimi, *Alex. in d. l. Si quis posthumus Decius d. conf. 399. in fine, latè Carol. Ruinus. conf. 211. Prima videtur vol. 1. teneant matrimonium sic in mortis articulo contractum ad excludendum substitutum, aut cui alioquin ex anteriore aliqua causâ jus ad bona contrahentis nuptias acquisitum erat (licet quoad liberos & uxorem teneat) non præjudicare substituto, aut ei, cui aliud jus in casum non existentium liberorum acquisitum erat: quia tamen hoc casu nulla videri potest fraus facta dicti Paschasij forori, aut alijs consanguineis, cessat omnino illorum opinio: quia his nihil juris competit ad bona Paschasij, de quo saltem ex actis aut Impetrantis allegatione constat; & spes illa, quam ad bona fratris sine liberis defuncti habere potuit dicta soror nihil nisi spes fuit, & quidem omnino improbabilis, quam levi momento Paschasius frustrare & eludere poterat, testamento condito, & hærede in eo instituto, sorore exclusâ, *l. fratres C. De inoffic. testam. †* Neque enim debetur fratribus vel sororibus jure obligationis hereditas, *l. Hereditas De pact. convent. imò ne quidem debetur etiam liberis, quin si pater antea ex* Conf. Wamef. Tom. II.*

alio matrimonio liberos legitimos suscepit, possit postea ex concubina susceptos etiam in mortis articulo legitimare, sic ut à legitimis in nullo distent, in *Auth. quib. mod. nat. effie. sui §. reliquis igitur, Iason in d. l. Sed est questum nu. 9.* Respicit enim id tantum favorem patris & liberorum, qui legitimantur, ac nullius alterius præjudicium: ut omittam, quod existimavit Iason, in *d. l. Sed est questum nu. 10. & 11.* & cum eo alij non pauci, *Doct. in c. Per venerabilem Qui fil. sine legit. & in l. Gallus §. si eius De liber. & posthum. & in l. Generaliter §. cum autem C. De inst. & substit. hujusmodi legitimatio- ne etiam substitutos excludi; quem tamen articulum hic non definimus.*

Illud præterea parum urget, quod ab Imperante quidem aperte obiectum non est, sed indicarum tantum, per unicum testem Impetrantis extra articulata (& sic inutiliter, *l. Iurifurandi C. De testib. Bart. in l. Si quis legatum in fin. Ad leg. Com. de falsis.*) id deponentem; quod videlicet hoc matrimonium contractum sit sine præcedentibus proclamationibus seu bannis: nam ad substantiam matrimonij proclamationes & banna non sunt necessaria; ideoque sine bannis contractum matrimonium non est nullum, sed tenet, & liberi ex eo nati sunt legitimi, nisi aliud impedimentum obsit, *Anchar. in c. 2. De clandest. despons.* Nam bannorum omisso hoc tantum operatur, ut matrimonium aliquo respectu dicatur clandestinum; non etiam ut soboles inde nata non sit legitima, præsertim si postea non inveniatur impedimentum; quod obstat, si bonâ fide publicè præcedentibus bannis contractum fuisset matrimonium, *Menoch. de præsumpt. lib. 3 præsumpt. 1. nu. 102.*

Cum ergo nullum allegetur impedimentum, ob quod contrahi non potuerint nuptiæ inter Paschasium & Mariam, nihil obstat validitati hujus matrimonij, quod non in facie Ecclesiæ aut sine proclamationibus sit contractum, *c. Cum inibito & ibi Gloss. Panorm. & alij De clandest. despons.* Hæc enim duo ab Ecclesiâ ideo sunt induta, non quod in illis consistat matrimonij substantia ac forma; sed ut certior matrimoniorum semper extaret probatio; quæ hoc casu non tantum per testes Imperantis, sed propriam etiam Rei allegationem & confessionem confecta est, *l. Cum precum & ibi Gloss. De liberali causa* Etsi igitur jus canonicum prohibeat clandestinè contrahi nuptias; clandestinè tamen contrahas ratas habere consuevit, *c. 1. & ibi Panorm. de clandest. despons.* (quod intellige ante Concilium Tridentinum, sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1.) ut in alijs plerisque juris partibus multa fieri prohibentur, quæ tamen facta rata manent, *l. Patre furioso & ibi Iason de his qui sui vel alieni iuris sunt.* Quamquam & favor matrimonij, & repentini casus supervenientis necessitas extra reprehensionem ponere debeant sic contractum matrimonium: cum alioqui vel nunquam vel rarissimè propter bannorum solemnitatem observandam, obtinere posset communis Doctorum resolutio de matrimonio in articulo mortis contrahendo, *ruin. d. confil. 88. Decius d. confil. 399. in fine;* de quo nec Concilium Tridentinum aliquid expressim statuit in contrarium:

Imò permittit contrahi matrimonium, postpositis proclamationibus, quando periculum subest, aut necessitas postulat, d. Sess. 24. cap. 1.

Cum ergo iustum & legitimum matrimonium confiteretur inter Pascaliū & Mariam; sic ut antè concepta, & tempore contracti matrimonij in utero existens proles, non potuerit nisi legitima nasci, transgrediamur ad secundum huius capitis secundum articulum; an videlicet posthuma, de qua quæritur, nata, an eiecta fuerit? hoc est, an perfecta ætatis, & vitalis fuerit tunc cum in lucem ederetur? Plurimum enim interest utrum dicatur. † Nam eiectus partus ante legiti-

¹¹ mum tempus, pro abortu est, Fulgof. consil. 64. Punctus talis est n. 3. Abortu autem uxoris non rumpi testamentum, indubitatum est. l. Vxoritis abortu C. de posthum. hered. insit. Paria enim sunt (ut inquit Paulus de Castro, in d. l. Vxoritis abortu, l. Quoddidit D. Deliber. & posthum.) non nasci vivum, & nasci vivum eo tempore, quo certum est partum vivere non posse. * At qui legitimo tempore editus seu natus est, si vivus in orbem processit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium, etiam si nullā voce emissā in manibus oblietris statim moriatur; cum sit verus, legitimus, ac perfectus partus, suā nativitate testamentum patris, in quo præteritus est, omnino rumpit, d. l. Vxoritis abortu, & l. fin. C. De posthum. hered. insit. Facti itaque hic magi, quam juris est quæstio, an perfecta ætatis, seu legitimo tempore edita fuerit dicta posthuma? Et sanè cum ex testimonijs Actoris, imò ex ipsius Impetrantis propria præsuppositione in suis interrogatorijs factā, manifeste constet, posthumam natam fuisse, & natam non unico aliquo momento, aut aliquot horis vixisse, sed diebus quinque, aut sex; & non tantum vixisse, sed ut perfectum hominem baptizatam fuisse; & post baptismum diutius supervixisse, nihil ambigendum videtur de perfectione huius partus; cuius perfectionem & integritatem res ipsa, magis demonstrat, quam posset alicujus hominis fides, aut testimonium, vel etiam ipsius matris attestatio; cui plerumque dies conceptionis incognitus esse solet aut saltem obscurus; sic ut rei evidentia dubitationi nullum locum relinquat.

¹² Posset quidem dubitatio relinqui, si vel infans exsecto matris utero viva extracta esset, ut in specie, quam tractat Marianus Socinus Nepos, consil. 35. vol. 2. aut statim edita in lucem moreretur; aut alioqui imperfectionis aliqua signa apparerent: sed ubi integris omnibus membris naturaliter mater peperit, non eiecit prolem, & partui aliquamdiu superest mater (prout hic biduo vel triduo supervixisse, & ex peste decessisse dicitur à testibus Actoris) quis dubitat pro perfectione partus esse præsumendum?

¹⁴ Quibus non obstant Impetrantis quarundam mulierum testimonia, quibus de imperfectione huius partus deponere conantur; quia scilicet (ut aiunt) ante septimum mensem fuerit nata; quo tempore ex sententia Hippocratis, legibus nostris confirmata, in l. 7. De statu hom. nullus partus vitalis nasci possit; sed tantum mense septimo, nono, & decimo, Aristoteles de historia animalium lib. 7. cap. 4. Galenus in definitionibus medicis, Cast. in d. l. Vx-

oris abortu, Marian. Socinus d. consil. 35. nu. 13. Alexand. l. Cum quidam §. suum De acquir. vel amit. hered. late Tiraguel. de revoc. donat. in verb. suscepit liberos nu. 206. ideoque existimaverit Castrensis, in d. l. Vxoritis abortu nu. 3. posthumum ante sextum mensem completum natum, non rumpere testamentum. Nam tali illarum testimonio nulla adesse potest plena probationis fides: quia nimirum illius non adferant istæ mulierculæ idoneam scientiæ causam, & Causam & ibi scriben. De test. cogen. decum consil. 37. In causa, Marian. Socinus Nepos consil. 69. nu. 6. vol. 1. & contrariā rei probatione evertantur. Aut enim prolem ante mensem septimum fuisse natam, & propterea imperfectam seu immatutam; quia non habuerit crines & ungues, & quia statuta fuerit pusilla: verum cum crinium carentia in nullo arguat partus imperfectionem, possitque fieri, ut pleno perfectissimo òque partu, hoc est nono vel decimo mense edatur partus sine crinibus, quæ admodum oblietrix producta attestatur, multo magis in septimo mense; idemque sit de ungibus, quibus plerumque carent, qui septimo mense nascuntur; imò ipsi etiam careat sæpe perfectissimus novem vel decem mensium partus; præsertim (ut inquit Medici) si mater multo sale, aut falsuginosis in victu usa fuit; nihil potest concludere aut arguere huiusmodi istarum muliercularum depositio de re, quam non oculis aut exterioribus aliquibus sensibus subicere potuerunt, sed iudicio intellectus tantum discernere: in cuius generis testimonio, causam scientiæ etiam non interrogatos oportet dicere testes, alioqui testimonia eorum nulla sunt, Imola in c. Cum causa de testib. Cast. & Aver. in l. Qui testamentum §. & veteres de iustam. & ibi Barr. & Bald. Cum ergo talis causa scientiæ necessariò non concludat, nihil ob stare potest ex ea causa fundatum seu adductum testimonium: necessariò enim concludere debent probationes, l. Neque nates C. De probat.

Eadem est ratio de causâ scientiæ, ex parvâ huius posthumæ statura: nam cum ex magnitudine corporis hominem nemo censat aut metatur; & alij alijs sint maiores; sint etiam nani, & pemi-liones; statura aut magnitudo partus ad illius perfectionem nihil pertinebit. Perficitur enim in utero matris partus per corporis partes, non per partium magnitudines, Aristot. de generatione lib. 2. c. 4. & 5. & huiusmodi parvitatibus naturalis iusta potest esse causa, Aristot. in problemat. sect. 10. quæst. 14. Cum ergo nulla adferatur iusta imperfectionis causa, perfectam potius, quam imperfectam, præsumere oportet fuisse hanc posthumam, quæ tam diu vixit, & cuius partus tam naturalis fuit. Quinimò nec omnis imperfectio etiam membrorum principalium ad hoc arguendum esset satis: ait enim Vlpianus, in l. Quod dicitur De lib. & posthum. si exsecto ventre nascatur posthumus, qui non sit integrum animal, si modò cum spiritu edatur, testamentum rumpi: atque ita omnium, quæ ad perfectissimum partum requiruntur, non desideratur perfectio. Neque etiam ex imperfectione aliquarum partium, maxime externarum, ac superfluarum, ut sunt pili & ungues, temporis imperfectio colligi potest; cum fieri possit, ut imperfectus sit partus, qui tamen pleno tempore in utero fue-

ro fuerit, *Tiraquel. de revoc. donat. in verb. suscepit liberos* nu. 209. Hæc inepta causa scientiæ, de qua nunc diximus, communis est omnibus mulierculis, quæ de imperfectione hujus partus aliquid deponere conata sunt. At duæ ex ijs aliam profecerunt causam scientiæ; quia scilicet id audierit Mariam matrem posthumæ in partu dicentem; quarum testimonium paulò propius ad temporis certitudinem ac demonstrationem pertinere videtur; quod matris in ea re non leve sit testimonium & assertio. Verum quia etiam in ea causa variant, cum altera dicat matrem dixisse, quod ultra sex menses non gestaverit; altera verò, quod mater dixerit se non gestasse quinque cum dimidio mensibus: & sic utraque singularis sit in reddenda scientiæ causa, neutri fides adhibenda, *l. iurisjurandi C. De testib.* Tantoque minus, quod per Rea testimonia secundo loco producta maiore consonantiorque numero probatum sit, prolem fuisse perfectam, & integram: † & præterea quod mater prolis dixerit atque asseruerit se esse in nono seu ultimo sui partus mense; quodque ad partum omnia præparaverit, quæpuerperis, seu parturientibus sunt necessaria; prout etiam unus ex Impetrantis testibus attestatur: quod indicium est eam non fuisse in quarto aut sexto suæ conceptionis mense. Cujus quidem matris assertioni soli, propter difficultatem probationis conceptionis, plerique standum esse tradunt, *Salo. mon. in l. Gallus sub finem princ. De liber. & posthum.* quamvis alij, *Alciat. in l. Qui mortui, De verb. signif. Bart. in d. l. Gallus in fine princ.* vel Medicis, vel obstericis fidem adhiberi velint. Quæ quidem in parte nec hic desistitur Rea. Nam obsterix, quæ dicta matri in partu hujus posthumæ additit & obstericata est, apertè deponit, prolem fuisse maiorem, quam sex mensium, cui tamquam perita in arte credendum, *l. 1. §. i. iur. De ventre inspicien.* Quinimò si rectè advertatur, & penitus introspectiatur, concordabit hujus obstericis testimonium cum depositione Sybillæ tertie testis. Quod enim illa dixit, matrem posthumæ dixisse, se non gestasse in utero ultra sex menses, id sic accipiendum est, quod non multò plus, quam sex mensibus gestasset; prout etiam ea verba in vulgari idiomate, quo verosimiliter usa est mater, intelligerentur: dicta verò obsterix id explicatiùs deponens dixit, quod esset major quam sex mensium, sic ut non excesserit septimum mensem. Quæ concordia tantò magis hic recipienda est, quod dicta Sybilla in sua depositione sese retulerit ad obstericem; dum dixit, quod obsterix ea dicta matris verba per eam deposita confirmaverit. Nunc ergo, cum obsterix deponat ex sua scientia, & peritia de maiore tempore, quam sex mensium, præsumendum quoque est de tempore, de quo deponit prædicta Sybilla, sic fuisse dictum, & intellectum.

Nunc autem satis est ad perfectionem hujus partus demonstrandam, & ad rumpendum hoc, de quo agitur, testamentum, constare matrem fuisse in septimo mense, suæ conceptionis, & prolem in septimo mense licet nondum completo, fuisse natam. * Est enim certissima non tantum Medicorum, *Hypoc. in libro de septimest. partu, sed*

& Iuriconsultorum, *l. Inestato §. fin. De suis & leg. hered. traditio*, centesimo octuagesimo secundo die; hoc est secundo die, septimi mensis inchoati, vitalem, & perfectum partum nasci posse; eoque tempore natum iustum partum esse; licet, ut antè dixi, qui eo tempore nascatur, plerumque vnguibus & crinibus careant. Vnde dixit Accursius, *in gloss. l. Septimo De statu hom. in sex mensibus*, & uno die perfectum partum edi posse; licet ea computatio uno die minor sit. His igitur sic concurrentibus de partu perfecto, qualis solet esse communiter in septimo mense; nimirum matris assertionem, & obstericis declarationem, non multum reclamantibus Impetrantis testimonijs, aut saltem cum effectu juris non contradicentibus; concurrentibus quoque alijs Rea testimonijs de præparamentis ad partum, *Casus Vrsillus in addit. ad decisionem Neapolit. 239 incip. Petrus de sancto Iuliano*; nihil dubitandum videtur, quin partus fuerit iustus, legitimus, perfectus, & maturus.

Succedat igitur tertius hujus capituli articulus; an totum testamentum Pascasij agnatione hujus posthumæ sit ruptum, sic ut ne legata quidem debeantur? An verò sic, ut legata adhuc subsistant? Est enim hic perplexi controversiæ iuris articulus. Cum itaque Impetrans in suis ultimis articulis, alijs allegationibus non satis (ut merito debuit) fidens, dixerit legata in hoc testamento valere, etiam si agnatione hujus posthumæ rumpi deberet testamentum; videamus, an id rectè dicat.

Hujus rei occasionem desumpsit Impetrantis Advocatus ex nova Iustiniani constitutione, *in Auth. Ut cum de appell. cog. nosc. iustum vers. si tales igitur collat. §. & in Auth. Ex causa C. De liber. præterit.* quæ, ut vulgò existimant, constitutum est, legata, & fideicommissa valere, etiam si ex capite injusta exheredationis, vel præteritionis testamentum sit nullum. Quem quidem communem ferè omnium Doctorum errorem numquam approbare potui; sed semper & in docendo, & in consulendo longè aliud voluisse Iustinianum tradidi. Non enim voluit Iustinianus leviter & obiter prolatis verbis, tot antecedentium legislatorum, & Iuriconsultorum labores tollere, & quod tam multis legibus, & Aquilianâ cautione, *l. Gallus de liber. & posthum.* constitutum erat, ut præteritione filij, vel nepotis in potestate constituti, vel sui posthumi, si nasceretur, testamentum esset nullum, vel rumpetur penitus immutare; quasi præteritio vel exheredatio filij familias annullaret tantum hæredis institutionem, non etiam legata; sed hoc tantum, in quo casu olim exheredatio suo hærede, aut præterito filio in potestate, non constituto, testamentum summo jure valebat, licet inofficiosi querellâ rescindi posset; hodie ad sustinendam hæredis institutionem per dictam novam constitutionem non sufficiat exheredatio, vel præteritio iisdem casibus, nisi causa ingratitude expressim sit inserta; sic ut quibus casibus testamentum propter præteritionem vel exheredationem erat nullum, per omnia tam quoad legata, quam hæredis institutionem, *l. Inter cetera De lib. & posthum. l. Filio præterito De iust. rupt. irrit. facto testam.* etiam hodie adhuc sit nullum. Sed quia hic

quia hic non agimus de præteritione sui hæredis nati, de qua dictam novam constitutionem intelligunt communiter Doctores, sed de præteritione posthumi; videndum est, an idem in ea obtrineat.

In hac sanè tam diversæ sunt Doctorum sententiæ, ut longum fuerit omnes referre, vide Tiraguel.
 18 De revoc. donat. in verb. donatione largitus nu. 259. usque 274. inter quas etiam una est, quod respexit Impetrans, dum allegavit, & ad id probandum se aditrixit, Pascasium scivisse uxorem suam fuisse gravidam tempore testamenti; videlicet præteritione posthumi factâ ab eo, qui sciebat posthumum esse in utero, præsertim si addita sit clausula codicillaris per verba de futuro, legata non revocari, Bart. Aug. Castr. in d. Auth. Ex causa & in d. l. Filio præterito; sed per novam constitutionem Iustiniani conservari: alioquin ignoranter præterito posthumo, dictâque clausula, vel omissa, vel verbis de præterito aut præsentis conceptis, omnia testamento inscripta esse inutilia. In quo etiam videtur residere communis Doctorum opinio; ut testantur Alexander, cons. 142. Circa primam vol. 2. & Corneus, cons. 225. Antequam aggrederiar vol. 3. sed nescio quàm rectè; sic ut dixerit Barbata, cons. 60. Institutum vol. 2. communio-rem opinionem esse, ut indistinctè præteritione posthumi rumpatur testamentum, & legata revocentur, sive testator sciverit uxorem esse gravidam, sive ignoraverit; sive adiecta sit clausula codicillaris verbis præsentibus, vel futuris; sive omissa sit.

Sed ne nimium altercando, & opinionum varietate veritatem amittamus, nobis satis est in præsentis demonstrare; admittâ etiam illâ distinctione scientiæ, & ignorantie, non esse probatum, testatorem scivisse Mariam uxorem suam esse gravidam aut spem habuisse posthumi nascituri: quo ipso satis convincitur id ipsum eum ignorasse. Præsumitur enim ignorantia, si non probetur scientia, l. Verius De probat. c. præsumitur De reg. iur. lib. 6. l. Si legibus C. De Episcop. auctor. diocesis. Nam quod duo ex Impetrantis testibus deponunt, testatorem non potuisse ignorare, Mariam uxorem suam fuisse gravidam, probandi efficaciam non habet; abnuntivum enim seu negativum hoc est; cuius generis testes ne mille quidem negativam probarent, Gloss. in l. diem proferre §. si plures de recept. arbitr. c. 1. de præscript. lib. 6. Bart. Bald. & alij in l. Hæredes palam in princ. de testam. Neque veritatis fidem auget causa scientiæ per eos addita; nam neque una & eadem ab utroque adfertur, sed alia atque alia. Vnus ideo Pascasium non potuisse ignorare dicit, quia Maria erat in ultimo mense: alter, quia Maria paraverat præparamenta ad puerperium: ita ut ex causa (sine quâ dicto fieri hic non potest) diversitate singulares debeant reputari hi testes. Imò nihil solidi deponunt: neque enim necessariò inferitur incerti scientia de partu, aut uxoris utero, si uxor parvi vicina est, aut ad puerperium aliqua præparavit: solent enim modestiores mulieres celare partum quamdiu possunt, Salomon. in d. l. Gallus in fine princ. Certior igitur hic est conjectura ignorantie (ut donemus lege eam non præsumi) ex eo, quòd in testamento nusquam

ipsum ventris, aut nascituræ posthumæ fiat mentio: imò sic omnia in eo scripta atque concepta sunt, ut inde apertissimè colligi possit, testatorem nullam posthumæ, vel ventris cognitionem habuisse. Primò, dum potissimam bonorum partem, imò omnia sua bona immobilia, forori suæ, hujus causæ Impetrantis uxori legat, eamque gravat fideicommissum centum equitum Geldrensi-um; non in favorem suarum prolium, de quibus nihil cogitabat, sed privignæ suæ; deinde hanc ipsam privignam rursus gravat restitutione illorum centum equitum, post mortem suam faciendâ non liberis suis, sed eidem forori: sicut nulla sit particula, nullum verbum in testamento, ex quo deprehendi possit, verum esse, quòd Impetrans non est veritus allegare; videlicet Pascasium testatorem in suo testamento satis mandasse Mariæ suæ uxori, & hujus causæ opponenti, ut futuræ posthumæ providerent: nisi fortè velit legatum mobilium bonorum ad posthumam referre. Sed profecto id nimis absurdum est: non enim dixisset se ea legare, vel relinquere Elisabethæ uxoris suæ filiz, sed filiz suæ: ut apertissimum sit de privigna, hujus causæ Rea scilicet locutum esse, non de hac posthumâ, quæ nondum nata erat quæque nullum nomen habere poterat, & quam ignorabat mas, an femina futura esset.

Cum ergò, ut ante dixi, communi opinione indubitatum sit, præteritione posthumi, de quo ignoravit testator, omnia in testamento scripta annullari & rumpi; consequens quoque est, ut in præsentis casu testamentum ex omni parte sit ruptum agnatione hujus posthumæ, de qua testator ignorabat: eoque magis, quòd clausula codicillaris adiecta in hoc testamento sit per verba de præterito seu præsentis; per quam communiter tenetur, legata, quæ ex causa præteritionis aliqui nulla essent, non conservari, Marian. Socin. Nepos cons. 228. nu. 72. vol. 1. * & omnium maxime, quòd hic non parva sint legata (quo casu procliviores sunt quidam ad sustinenda legata, Corneus d. cons. 225. vol. 3.) sed pro conditione testatoris, maxima, vel de omnibus penè bonis. Sic ut quia nulla usquam reperitur alia hæredis institutio in dicto testamento, pro hæredis institutione in effectu accipi possent; quam certissimum semper est in omnem eventum propter præteritionem evacuari, d. Authen. Ex causa. Sororem enim in effectu instituit in immobilibus; hoc est in molendino, quòd ferè solum habuit testator; privignam in mobilibus, ultra dictum fideicommissum centum equitum: sic ut in effectu utraque, ex diversitate bonorum, vel mobilium vel immobilium, universalem quendam titulum ex testamento referat: cuius indicium hoc quoque est, quòd privigna gravetur onere solvendorum jurium funeralium, & debitorum, quòd plerumque mobiliari hæredi insumbere solet; unde etiam ipse Impetrans in suis allegationibus tandem dicit Ream in testamento Pascasij fuisse institutam.

In quarto articulo hujus secundi capituli sub-standum non est: num scilicet hujus causæ Rea aliquà re testamentum Pascasij confirmaverit, vel approbaverit? nihil enim vetat testamentum, quòd præteri-

præteritione: est nullum, vel ruptum juris subtilitate, dissimulatione illius, ad cuius injuriam pertinet præteritio, aut approbatione illius, ad cuius utilitatem refertur testamenti ruptura, sustineri, d. l. *Filio præterito in fine De iust. rup. iuris. fact. testam.* Nam quamvis Impetrans, velut pro sacra anchorâ, & ultimo præsidio, desperatis alijs omnibus fundamentis, alleget Ream laudasse & approbasse dictum testamentum; quia legata in eo facta, & residuum bonorum apprehenderit, atque acceperit: quia tamen huiusmodi allegatio probata non est, nihil operabitur. Nam quod per testes aliquot novissimo loco pro Impetrante productos depositum est, Ream aliquot res mobiles domo extulisse, nihil est: cum idem addant huic eorum depositioni, se nescire iure testamenti, an alio iure Rea illa apprehenderit; sic ut apprehensio huiusmodi bonorum, non magis pro arguenda approbatione testamenti, quam illius improbatione asserenda accipi possit: cum utroque fine dicta Rea illa eadem bona, de quibus testes loquuntur, apprehendisse potuerit. In re autem ambigua magis præsumendum est Ream elegisse illam viam, quâ sibi minus noceat, *argum. l. 3. De testam. milit. hoc est iure intestate successione suæ sororis posthumæ*, ad quam eadem bona rupto dicto testamento ex morte Palchii delata erant. Cum ergo nihil concludat illa allegatio, & probatio, nihil ex eâ adjuvamenti sperare debet Impetrans. Sicigitur omnibus separatim inspectis, & inter se collatis ac compositis, nihil est quod impediat hoc testamentum rati-
tate huius posthumæ rumpi, omniâque in eo legata corrumpere, & pro nullis esse.

Restat tertium, in quo statum causæ etiam partium consiliter diximus; videlicet circa actuum utilitatem, vel nullitatem: quod nimirum ex Impetrantis parte allegatum quoque sit, testes pro parte Actoris secundo loco productos, nulliter esse productos: ob id, quod sint producti, ut ait, super eadem seu contrariâ materiâ, super quâ antea Impetrans testes produserat, quorum testimonia tunc publicata, & à parte Rea pertractata, ac cognita erant; quæ publicatio, & testimoniorum tractatio, de jure solet impedire aliorum testium productionem, *c. Fratrum de testib. Auth. At qui semel C. de probat.* Ceterum quia hæc allegatio præterit tantum actorum vitaret, hoc est illa testimonia, non etiam cætera, contemni posset, etiam si vera esset: ob id, quod ut ex superioribus patet, illorum testimoniorum emolumento sine juris sui præjudicio carere potest Rea. Nam quæ per illos probantur parum non sunt Reæ necessaria: veluti quod Palchius, dum duceret uxorem suam, sperabat posse vivere diutius; quæ

spes naturaliter præsumitur in omni homine, *l. Haereditatem & ibi Cast. ad leg. falci. & sine ea spe superius diximus, matrimonium contrahi posse in mortis articulo, potissimum favore legitimæ prolis natæ, vel in utero adhuc existentis.*

Similis ratio est illius, quod tres ultimi testes sic producti deponunt, cum concubinâ in extremis matrimonium contrahi posse: nam huiusmodi allegatio juris, non facti est, & proinde probatione non indiget, *Bald. in l. 2. §. quod observari nu. 16. C. De iureiur. propter calum. dando & in l. 1.*

nu. 22. C. de confess. Ut plurimum mirandum sit, quâ imperitiâ Notarij ejus rei testimonia recepta sint: jus enim certum est, nec probatione indiget. Et ut aliquâ ratione necessaria videantur, non tamen fuit necessarium per hos testes ea probari; ut est de perfectione, & tempore partus; quia, ut superius demonstratum est, partim rei evidentia, partim ex testimonijs ipsius Impetrantis, utriusque probatio confici potest. Sanè inter alia, testimonium obstetricis omnino recipiendum est: ob id, quod dicta Sybilla ad illius confirmationem sese omnino refert; sic ut sine huius obstetricis declaratione, Sybillæ testimonium, quod superius cum obstetricis dicto concordamus, stare non possit, *argum. sub. si quis in aliquo C. De edendo.*

Postremo cum articuli secundo loco pro parte Rea exhibitus, super quibus facta est hæc secunda productio, neque sint idem cum articulis priore loco per eam exhibitis (in illis enim tantum articulatam fuit de matrimonio Henrici & Mariæ; & simpliciter de nativitate posthumæ) neque etiam directio contrarij articuli Impetrantis prius exhibitus; quia in illis (quoad materiam, de qua nunc agimus) tantum articulatam fuit de prole nata ante septimum mensem; cui per omnia directe contrarium non est, quod Rea in secundo illorum articulorum articulavit, prolem fuisse perfectam & in omnibus membris integram; ac talem, quæ diu potuit vivere: & ut sit contrarium, tamen quia testes Impetrantis (uti superius deductum est) in hoc articulo obscure, in d. cum contrarietate deponunt; recipi debet nova productio etiam post pertractata testimonia, quando ante publicationem pars desuper instrui non potuit, *c. Ex tenore De testib. Auth. de Aff. decif. Neapol. 33 n. 4.* quemadmodum hic instrui non potuit; ob id, quod testes Impetrantis deponant de confessione Mariæ in partu, quod prolem non gestasset sex mensibus, quod per partem impetran-tem articulatam non fuit. Ita ut cum hac ex parte dictarum muliercularum depositio seu examinatio sit nulla, *Bart. in l. si quis legatum in fine ad l. Corn. de falsis*, contrariæ & novæ productioni non possit obviare inutilium testimoniorum publicatio & tractatio, *Bart. in d. Auth. At qui semel n. 28. & 35.*

Sanè quod attinet ad testimonia Impetrantis postremo loco recepta, evidens & manifesta est nullitas: nam sunt recepti omnes extra terminos probandi à iudice concessos: nam lapsis prima & secunda dilationibus, Impetrans obtinuit tertiam ad spatium unius mentis, intra quod nullam planè fecit probandi diligentiam. Equidem constat ex actis neminem ex illis testibus postremo loco productis vel jurasse vel examinatum esse intra tempus illud statutum. Quamobrem debent omnia ista testimonia tamquam inutilia ex his actis rejici, *Boer decif. 352. in 2. parte*: nam quamvis nullâ assignatâ dilatione seu termino ad probandum, si res est integra, & partis adversæ non interfit, testes recepti & examinati probent: dilatione tamen concessâ & præterlapsâ, idem non obtinet: ut eleganter tradit Angelus, *in l. fin. in fine De ferijs nu. 11. ex sententia Speculatori, in nu. de dilat. §. fin. vers. item quid si datus, & latissime persequitur Fel. in c. licet casu, am nu. 18. De probat.*
Iudex

Iudex enim præfigendo certum tempus, intra quod aliquid fiat, videtur quoque nolle, ut idem extra illud tempus fiat; nisi ab eo aliud tempus seu nova dilatio petatur, arg. l. Mancipiorum & ibi Bart. de optione leg. l. Quod Labeo De compensat. Quam novam dilationem seu posterioris dilationis prorogationem in actis Ræ non reperimus. Sed cum hæc posteriora Impetrantis testimonia parum momenti habeant, neque Ræ multum obliant, nolumus in ijs confutandis esse operosiores. Quamobrem, ut finem faciamus, arbitramur, partes Domini Iudicis esse, ut per omnia secundum Opponentem sententiam ferat.

De Testamentis.

S V M M A R I U M.

Facultas testandi Religioso concessa.

1. II. Facultas testandi, an prima testatione consumatur.
2. Vita sibi comite, hæc verba quomodo accipienda.
3. Testamentum semper revocabile.
4. Dispositio qualibet iudicatur secundum tempus, in quod confertur.
5. Donatio mortis causa speciem habet contractus & ultima voluntatis.
6. Donatio absentis facta revocabilis est, antequam sit acceptata.
7. Facultas eligendi testamento relicta quid operetur.
8. Sermo simpliciter prolatus an primo actu consumatur.
9. Confirmatio confirmati fines non excedat.
10. Acquirere nemo potest sine acquirendi voluntate.

CONSILIUM CCCCIII.

A VCTORITATE Decij, conf. § 12. Cum Reverendissimus, cui cedere videntur Marianus Socinus junior, conf. 89. Magna profecto vol. i. & Didacus Covarruvias, in c. cum in officiis nu. 7. de testam. * oppugnat ultima dispositio quondam Reverendi Domini Lucæ Munich, Abbatis Monasterij S. Bavonis per quam de omnibus bonis dictæ Abbatiz per felices recordationis Paulum Tertium Papam suppressæ & extinctæ atque in Collegiatam Ecclesiam erectæ disposuit; bona ejusdem quondam Abbatiz post ejus obitum possidenda ac habenda in dictæ novæ erectæ Ecclesiæ Præpositum, Decanum, Cantorem, Scholasticum, Canonicos, aliæque ejus membra distribuendo: ex ea sola ratione, quasi idem Abbas disponendi facultatem ei per præfatum Dominum Paulum concessam primâ distributione consumpserit: ut generaliter plerique exillimant, primo actu, primæque dispositione actus explicandi potestatem consumi, perfici, ac finire, l. Boves §. hoc sermone de verb. signific. Cæterum quoniam veritati cedit auctoritas, l. consuetudo in princ. 8. dist. 1. Archidiaconus in c. Corpus vers. & notatur de consecrat. dist. 2. excutiendæ veritatis magis, quam tantorum virorum auctoritatis oppugnandæ studio, paucis demonstrabimus, circumscriptâ priore Domini Abbatis dispositione, posteriori standum & adherendum esse; eique per Dominos Canonicos iustis rationibus contradici non posse. Etenim in verba Pontificiæ concessionis collimando, eaque ad genuinum naturalemque sensum, quem præ se ferunt expendendo, nullum occurrit restrictionis

vinculum, nulla ex tempore aut prima manus appositione angustia aut coarctatio, quæ eidem Abbati potestatem adimat dispositionis sui arbitrium ad extremum usque vitæ spiritum mutandi & alterandi. Cum enim, exceptâ solâ monachali portione, omnium bonorum dictæ Abbatiz perceptio & gaudium Abbati reserve- tur, & plus relinquendi seu assignandi vel Monachis vel de novo assumendis Canonicis, vitæ sibi comite, ejus lubito relinquatur; conjunctimque statim subijciatur potestas, dignitates, Canonicatus & præbendas ex bonis Monasterij hujusmodi perpetuo dotandi, & dotem assignandi ad libitum suum, ut postea subijcitur; nobis persuadere non possumus, tam laxam, lateque patentem potestatem ad libitum voluntatis datam, in tam compressas angustias coniectam esse, ut quacumque primâ dispositione ad effectum plenamque executionem nondum perditâ, sed solum scripto pro futuro temporis executione comprehensâ, abruptâ, præcisiâ ac consumpta dici possit. ¶ Ut enim his verbis, Vita sibi comite, tractus temporis significatur, & totum vitæ tempus contingitur; ita quoque facultas ad vitæ tempus permixta toto eo tempore debet perdurare. ¶ Ita ut hæc concessio similis admodum sit, & proximè accedat ad facultatem testandi, quæ sive jure communi sive jure speciali, l. Si maritus De testam. l. Si quando De inoff. testam. concedatur, semper vitâ durante revocabilis censeatur etiam publicata non tantum scripta ac concepta, l. 4. De adm. legat. l. Hac consil. sissima C. de testam. l. Hæredes palam §. si quid post De testam.

Et quod voluntati ultimæ propius, quam actui 4 inter vivos accedat, inde apparet, quod ejus effectus in & post tempus mortis collatus sit: sic ut iudicando ac definiendo ipsam dispositionem secundum tempus, in quod confertur ejus executio seu effectus, Bart. conf. 76. Pater filio nu. 5. vol. 1. potius sit ultima voluntas, quam actus inter vivos; etiam si quoad ejus initium actui inter vivos accedere videatur; ideoque propter effectum, non propter initium revocabilitati subjacere debeat. * Exemplo donationis mortis causa, quæ in fronte speciem contractus habet, in exitu ultimæ voluntatis, l. ult. c. De donat. mortis causa; & ob id in vita semper revocari potest, §. 1. Inst. De donat. præsertim quia constat, eam fuisse mentem Pontificis, ut effectus hujus dispositionis in vita esset imperfectus; & ut quia vitæ mentio facta est, per omnia dicatur actus inter vivos, nihilominus revocabilitati semper foret obnoxius. Etsi enim actus & negotia, quæ duorum pluriumve voluntate aguntur & geruntur, ex prima dispositione plerumque perfectionem accipiant, & revocabilitati nisi communi consensu non subjaceant, l. Sicut C. De oblig. & action. quæ tamen negotia in unius tantum voluntate consistant, irrevocabilitatem statim perinde non accipiunt. ¶ Unde donatio simplex, quæ 6 initium habet à solus donare volentis voluntate, sive absenti verbo fiat, sive per epistolam confertur, extra revocationem non est, antequam donatario id innotescat, & is donationem acceptet, l. Absenti De donat. l. Nec ambigi, l. Si aliquid C. eod. tit. Dynus conf. 17. Quodâ Eccl. sic in proposito, quamvis Re-